DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE HYDROPE UNIVERSALI

Quam

Auxiliante Deo ter Opt. Max.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. SAMUELIS à DIEST,

SS. Theolog. ac Philoſ. Doct. illiusque, ut & Linguæ Sanctæ, in illuſtri Ducatûs GELRIÆ & Comitatûs ZUTPHANIÆ, quæ eſt HARDERVICI, Academiâ, Profeſſoris Primarii,

NEC NON

Conſenſu Ampliſſimi Senatus Academici
&
Nobiliſſimæ Facultatis Medicæ decreto,

Pro gradu Doctoratus, ſummisque in Medicina honoribus & privilegiis ritè & ſolemniter conſequendis

Sinè præſide defendet

NICOLAUS HEEREMANS,
AMSTEL. BATAV.

Ad diem [illegible] Junii *Horis locoque ſolitis.*

HARDERVICI,
Apud ALBERTUM SAS, Academiæ Ducatus Gelriæ & Comit. Zutphaniæ Typog. 1679.

31

FAUTORIBUS
OMNIBUS
&
SINGULIS

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM

DEBITÆ OBSERVANTIÆ SIGNUM
OFFERT ET INSCRIBIT

NICOLAUS HEEREMANS,
AUTH. & RESP.

DISPUTATIONIS MEDICÆ INAUGURALIS DE HYDROPE UNIVERSALI

Theſis I.

VArios inter Morbos Corpori humano obvenientes frequens valdè, imò conſiderationis ſingularis eſt *Intumeſcentia præternaturalis habitus univerſi ab humore aquoſo. Anaſarca* vulgò dici ſolet, vel *Leucophlegmatia*, icet priorem vocem potius hîc obtinere cum recentioum medicorum variis ſtatuamus, quam quæ poſterior, ùm illa magis reſpiciat ſerum hæc pituitam.

II.

Subjectum hujus mali habitus Corporis eſt; denotat ic hoc loco molliores partes, quæ vel ventres exterius amiunt, vel artus ipſos conſtituunt, imprimis muſculoſas landuloſasque, ad recipiendum aliis magis commoda; ec negligenda interſtitia dictas inter partes locis variis ſe xhibentia.

III.

Morbus ipſe, ſervatâ morborum diviſione uſitarâ, Drganicis annumeratur, & inter eos iis quì magnitudi-

nis auctæ dicuntur; Poſſet tamèn haud inconvenient
doceri habitò reſpectu ſeroſitatis Tumorem hunc produ
centis loci vitium in eâ obtinere.

I V.

Cauſa proxima Tumoris hujus Aqua eſt, quæ *ſeru*
Medicis dici conſuevit antiquioribus, quod etiàm ſolu
ſufficere cenſuerunt, ſiquidem à reliqua maſſâ ſanguin
ſecretum loco dicto congregetur. Recentiores ſero hu
Lympham addunt, quæ ſerum imprimis eſt ab impuri
ribus partibus liberatum, propriis vaſis naturalitèr conte
tum.

V.

Remotiores Cauſæ, magis minusvè activæ vel ad C
pioſiorem aquæ dictæ collectionem faciunt, vel ad fac
liorem extravaſationem; miſſis iis quæ rarius occurre
ſolent frequentiores adduxiſſe ſufficiet.

V I.

Copioſius juſto quod colligatur ſerum *vel* ipſius gener
tioni copioſiori debetur, *vel in* corpore retentioni indebit

V I I.

Generatur copioſius ſerum ferè vitio Materiæ, quand
que etiàm vitio Cauſæ efficientis. *Vitio Materiæ* ſeru
plus juſto in corpore producitur, ubi Aër eſt frigidi
humidiorque, Cibus potusvè ejuſdem conditionis, in
primis ſi largius uſurpentur; faciunt huc etiam Medic
menta liquida, maximè frigefacientia. *Cauſa efficiens* h
dici meretur pars ſolida corporis omnis quæ ſanguinis el
bora

borationi, ſeriqúe ſecretioni dicata eſt, debilitata nimiùm, aut aliàs morbo quodam conſiderabili affecta, Hepar imprimis, Lien, Pulmo, Cor, Cerebrum, Renes, glandulæ variæ, intemperies hîc omnis generis obtinet, maximè frigida, & exulceratio, in glandulis frequentius induratio.

V I I I.

Excretio ſeri inſufficiens eſt, quoties in viis excretioni deſtinatis anguſtia quædam occurrit, illæ imprimis ureteres ſunt, cum ductu urinario, Cutisque poris. Anguſtia hæc in prioribus obſtructio præcipue eſt & compreſſio, in poſterioribus obſtructio & adſtrictio.

I X.

Poſterioris ordinis Vaſorum dictorum Diapedeſis ferè eſt, Lymphæ ductuum inſuper diaireſis.

X.

Prolixum nimis foret morborum enarratorum cauſas ſpeciatim hîc exponere, exhibent has practicorum ſcripta iis locis ubi de morbis dictis, vel de ſymptomatibus ab iis dependentibus particulatim agunt.

X I.

Signis Diagnoſticis vix indigemus, modo affectum hunc ab aliis rite diſcernere queamus. Conſideranda hîc veſtigia digiti prementis, intumeſcentiæ totius corporis, præcipuè palpebrarum, manuum, & pedum, mutatio coloris vividi in albicantem magis, reſpirandi difficultas, ſitis, urinæ tenuitas & albedo, ut & excrementorum alvinorum, pulſus parvitas, & mollities.

 XII. Di-

X I I.

Diſtinguitur affectus hic ab aliis hydropis ſpeciebus, quales imprimis ſunt *Aſcites*, ubi infimus tantum venter, & cum eo ferè etiam pedes, ſcrotumvè, intumeſcunt *Tympanitis*, in qua venter idem à flatu diſtenditur, non adeò puro quam ſeroſitati aſcitem producenti permixto, adeòque quantitate aut qualitate eam ſuperante, *Hydrocephalus* ubi Caput, *Hydromphalos* ubi Umbilicus, *Hydrocele* ubi ſcrotum, ſero turgent. Species alias enumerare haud neceſſarium, ubi nempè in utero, pulmone, Thorace, &c. ſerum abundat.

X I I I.

Prognoſin quod ſpectat. Omnis hydrops curatu difficilis, & periculoſus, at inter omnes minoris periculi Anaſarca. Hûc facit Aphor. hipp. 29. ſect. vj. ſi leucophlegmatia detento fortis Diarrhæa ſuperveniat, morbum ſolvit.

X I V.

Curationis indicatio Cauſarum omnium, remotarum proximarumque ablatio atque correctio. Primò enim Aqua præſens auferenda, hinc novæ regeneratio inhibenda.

X V.

Præſens aqua aufertur per medicamenta hydragoga, vomitoria, ſudorifera, diuretica, &c. uti hic etiam conveniens Balneum Aquæ ſulphureæ atque Salinæ. Omnium

nium catalogum recenſere ſupervacaneum, conſulere hîc poterit Lector practicorum libros.

XVI.

Aquâ ſic evacuatâ, imò dum eductioni ejus per media indicata intentus eſt medicus, cura omnis eò eſt dirigenda, quo, ne nova regeneretur, quantum fieri poteſt, impediatur. Hîc Cauſarum omnium ad aquæ collectionem facientium habenda ratio, Ita pro exemplo, *ſi morbus dependeret ab uſu nimio liquidorum*, imprimis frigidorum, aut Aëre frigido humidoque, correctio eorum neceſſaria, quæ non ſolum contraria uſurpari vult, ſed etiam priora interdici. Huc Cibus exſiccans, attenuans, aſſatus potius quam elixatus, potus modicè calefaciens, imò ab omni humido abſtinentia ſingularis.

XVII.

Viſcerum ſanguificationi inſervientium vitia ſi quæ adfuerint, ad ea reſpicere neceſſarium. Hùc faciunt quæ in ulcere pulmonum, renumvè, obſtructione hepatis, &c. locum habent, dignoſcere hæc quam difficile, ſi non omninò impoſſibile, tam curare; Ejuſdem conditionis etiàm *vaſorum ſanguineorum & lymphœductuum diapedeſis & diaireſis.*

XVIII.

Debilitatæ nimium quod ſi partes ſanguinis generationi ſeriique ſecretioni deſtinatæ fuerint vix alia quam confortantia, modicè calefacientia in uſum duci poſſunt, intemperies

fri-

frigida cùm imprimis huic debilitati huic cauſam dederit. Huc hepatica, ſtomachica, &c.

XIX.

Viæ ſeri excretioni deſtinatæ anguſtiores juſtò ſi fuerint cauſam anguſtiæ tollendam eſſe per ſe conſtat. Huc ape ritiva in genere, ſpeciatim pro viarum diverſitate ſudo rifera, diuretica, &c.

COROLLARIA.

1.

Medicinæ objectum verum Corpus humanum.

2.

Ejus finis actionum integritas.

3.

Spiritus etiam ſunt partes corporis.

4.

Sanguis itidèm, ſaliva, lachrymæ,

5.

Contraria contrariis curantur.

6.

Vera pleuritis ſine venæ ſectione curari nequit..

7.

Spiritus vitalis non niſi pars ſubtilior ſanguinis

FINIS.